



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

3. De Incomprehensibilitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

CONSIDERATIO III.

De Incomprehensibilitate Dei.

Dicitur *Incomprehensibilis*,
 quadruplici ratione, i. *In-*
tellectus: quia nulla mens
 creata etiam cum lumine
 gloriæ quantumuis magno, potest
 illum comprehendere: hoc est, ita
 illum cognoscere, ut nihil ipsius la-
 teat intuentem, seu cognoscentem:
 semper enim infinita, imò infini-
 ties infinita restabunt, quæ distin-
 ctè non cognoscentur, seu conci-
 pientur: nempe infinitæ rerum no-
 tiones & conceptiones; infinitas
 rerum complacentiæ ut ad res pos-
 sibiles terminantur; infinita decre-
 ta præsertim conditionata; infiniti
 modi quibus essentia diuina est
 imitabilis. Et quamuis hæc omnia
 à mente creata in Deo distinctè
 viderentur per lumen aliquod glo-

B. iiii. r. 112.

riæ, quale est lumen animæ Christi (quod omninò est impossibile) adhuc tamen Deus propriè, & perfectè non comprehenderetur; quia illa cognitio claritate non adæquaretur essentiæ diuinæ; nec per eam cognosceretur Deus tam perfectè, & clarè, quàm est cognoscibilis; sed infinitè ab hac claritate deficeret, cum sit finita. Vnde ei non adæquaretur, nec esset perfectè comprehensiuæ; sed solùm secundum quid: nempe quo ad multitudinem obiectorum; non quo ad claritatem & perfectionem cognitionis.

Dicitur etiam *Incomprehensibilis intellectus*, alia ratione: nimirum, quia nullus intellectus creatus quantumuis sublimis, potest viribus naturæ illum attingere, ita vt illum clarè videat, aut cognoscat, sicut in se est; sed quantumuis mente adscendat in altum, semper infinitè aberit ab eius clara cognitione.

2. Est

2. Est *Incomprehensibilis affectu*: quia nulla mens creata potest illum amare, honorare, æstimare, laudare, reuereri, quantum dignus est. Sed ipse omnem amorem, honorẽ, æstimationem, laudem, reuerentiam omnis creaturæ, etiam omniũ Beatorum infinite superat. Ecclesiastici 43. v. 30. & sequentibus.

3. Est *Incomprehensibilis loco*: quia cū sit immensus, nullo spatio quantumuis magno concludi potest, Vt ostensum est Confid. 4.

4. Est *Incomprehensibilis tempore*; quia cū sit æternus, est ante omnem durationem conceptibilem, & quidem sæculis infinitis. Similiter est post omnem durationem cōceptibilem sæculis infinitis; vt explicatum est Confid. 6.